TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

ARTHRITIDE.

4

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
ARTHRITIDE

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BOOTH,

SOC. REG. MED. EDIN. PRÆSES ANNUUS, SOC. REG. PHYS. GOTTING. SOCIUS EXTRAORD. ET SOC. NAT. CURIOS. EDIN. ITERUM PRÆSES ANNUUS.

Ἀτὰρ καὶ ἀκούσασι τοῖσι πάσχουσι τὸ ἀτρεκὲς ἔδοξε ἄπιστον· διὰ τόδε ἐς ἀνήκεστον ἐτράπε, ὅτιπερ τῇσι ἀρχῇσι ὁκότε ἀσθενεστάτη ἐστὶ ἡ νοῦσος, ὁ ἰητρὸς οὐκ ἐνίσταται· ἢν δὲ χρόνῳ κρατυνθῇ, ἀνόνητος ἡ μελέτη.

ARETÆUS.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.

1805.

VIRO PRAENOBILISSIMO

RICARDO HOWARD

COMITI AB EFFINGHAM,

MAGN. BRITANN. REGIN. A SECRETIS,

&c. &c. &c.

INGENUARUM ARTIUM

SCIENTIA, ET OMNIBUS VIRTUTIBUS,

QUÆ

HOMINEM VEL CIVEM DECORANT, ORNATISSIMO:

HOCCE OPUSCULUM

CUM REVERENTIA

INSCRIBIT

AUCTOR.

JOANNES BOOTH

AMICIS BENIGNIS SUIS

JOSHUÆ WALKER

DE BLYTHE IN COMIT. EBORACENSI,

ET

THOMÆ WALKER

DE BERRY-HILL IN COMIT. NOTTINGHAM.

ARMIGERIS

S. D.

VOBIS,

VIRI PLURIMUM HONORANDI,

QUIBUS

MULTUM DEBEO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

QUA

PAR EST OBSERVANTIA

DICATAS ESSE VOLO.

V.

VIRO ILLUSTRISSIMO

J. F. BLUMENBACH

PROF. MED. ORD. IN ACAD. GEORG. AUGUST.
GOTTINGÆ,

ET

MAGN. BRITANN. REG. A CONSIL. AUL.

HOCCE OPUSCULUM,

FAVORIS QUO EUM AFFECIT

MEMOR, OFFERT

ALUMNUS.

——Inamarescunt epulae sine fine petitae,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus.

HORAT. *Sat.* l. 2.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

ARTHRITIDE.

PROŒMIUM.

I. Divitibus et otiosis multa et acerba mala sorti sunt, quae eorum felicitatem ita temperant, ut horum beatorum vita non sit magis expetenda, quam labore sibi victum quaerentium. Eorum animi de rebus ad vitam sustinendam necessariis minus soliciti, longe, lateque vagantur, atque desideriis multis imaginariis, perpetuo torquentur; cor-

PORA, quam vulgi, labore et inaedia minus indurata, dolorem altius sentiunt et morbis quibusdam acerrimis magis obnoxia sunt. Inter hos, arthritis facile princeps est recensenda; nam vix ullus morbus existit, tot et tam varias mirasque scenas in corpore agens.

II. Mox in parte qualibet sedem tenacius capessens, valdopere excruciat; febrim accendens, eam tumore, motus impotentia, nodis, ulcusculis, haud raro labefactat: mox vage in corpore aberrans, fulminis instar, ex uno in alterum locum transvolat. Aliquando, larvatam faciem prae se ferens, alios maxime discrepantes morbos mentitur: vel post longas inducias, levissima de causa, ex latibulis suis prosilit, et hominem specie sanissimum prosternit.

III. Paucos tamen hujus morbi teterrimi vel pudet vel piget; potius pro honore habetur: Iis exoptatur, quibus est incognitus, utpote eos nobilitans, de eo gloriantur qui adhuc leviter experti sunt, mox fatum suum triste ploraturi. Etiam SYDENHAMUS, ille

alter HIPPOCRATES, et non minus modestia quam ingenii acumine insignis, illud sibi aliisque mali arthritici sociis, reputabat pro solatio, quod reges, duces et philosophos pro victimis praecipue cooptavisset podagra.

IV. Non vereor igitur, me inutilem operam aggressurum, si, lege et consuetudine permotus, de hoc morbo honorifico et singulari, quaestionem instituam.

CAPUT I.

DE MORBI DEFINITIONE.

I. Arthritis a cl. Culleno his verbis definitur: "Morbus haereditarius oriens sine causa externa evidente, sed praeunte plerumque ventriculi affectione insolita: pyrexia, dolor ad articulum, et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum juncturis, potissimum infestus; per intervalla revertens, et saepe cum ventriculi, vel aliarum internarum partium, affectionibus alternans."

II. Haec definitio, etsi objectionum non plane immunis, omnium, quae nobis adhuc a nosologis traditae fuere, optima est. Praeclivitas haereditaria plerisque in exemplis adsit, sed an hac necessarium, vel perpetuum sit, multi dubitavere, et in morbi defini-

tione facile praetermitti potuisset. Observandum sit quoque morbum statutis intervallis redeuntem, ad sese ab aliis, primo insultu, discriminandum, minime conferre.

III. Sub hoc genere, quatuor species, nempe podagra regularis, atonica, retrograda, et aberrans complectuntur. Prima his verbis descripta fuit, "Inflammatione vehementi per paucos dies manente, et cum tumore, pruritu, et desquamatione partis gradatim resedente."

IV. De arthritide typum regularem servante paucis disserere aggrediar, de ejusdem phenomenis anomalis atque incertioribus, taciturus.

CAPUT II.

DE MORBI HISTORIA.

I. ANNALES omnium gentium, quibus mores culti fuere, nobis declarant quam aequo passu, luxuria et podagra simul processerunt. Quibus non nimis indulsit fortuna, et laboriose qui vitam transeunt, ii pene omnino hoc malum ignorant.

II. Originem antiquissimam jactat. Quidam auctores mentionem ejus in literis sacris inveniri existimant; de hoc autem nihil pro certo constat. Ex HIPPOCRATIS et LUCIANI operibus innotuisse GRAECIS manifeste patet, et ex CELSI, SENECAE *, alio-

* SENECA podagrae doloribus cruciatus fuit: "Delinimenta," ait, "magis quam remedia podagrae mea com-

rumque, malum frequenter sese inter ROMANOS ostendisse, satis constat*. Apud HODIERNOS pro honore habetur, et laxis passibus undique vagatur.

III. Tempestatibus vernali et autumnali victimas ejus aggredi solet podagra. † SYDENHAMUS menses Januarium et Februarium huic sacros vult; aegrorum tamen plurima exempla nobis dantur, qui, omni semestri, continuo et aliquando mensis eodem die, correpti fuere. Festivitas hyemis genialis, et veris calor, frigus brumale excipiens, paroxysmum iis tempestatibus forsitan saepius accendant. Sed quoad accessionum regularitatem, vix ullam normam observat. Primo insultu, semel solummodo per duorum trium-

---

pono, contentus si rarius accedit, et si minus fera minatur." *De Vita Beata*, c. 17.

* PLINIUS contendit podagram morbum fuisse ex alia regione peregrinum. "Nam," ait, "si Italiae fuisset ANTIQUITUS, Latinum nomen invenisset." PLIN. *Hist. Nat.* 26. 10.

† Tract. de Podagra, p. 436.

ve annorum spatium; forsan postea semel, bis, terve, in eodem anno regreditur. Hoc funesto malo, aegri quidam tam discrucientur, ut vix induciis ullis fruantur.

IV. Quo vetustior est podagra, eo minus doloris secum ferre consuevit; trahit tamen longius, et artus quoque magis diutiusque debilitat. Ubi semel accesserit, pergit plerumque aegrum revisere, per reliquam vitam.

V. Mares, potius, quam foeminas, aut eunuchos, adoritur; fuit utcunque haud inexpertus ROMANAS inter mulieres, morbus *. SENECA, earum nimiae indulgentiae ac luxui, hoc phenomenon attribuit †, et memoravit, quod, suo tempore, plurimae foeminae podagricae calvaeque fuere, " nam cum virorum licentiam aequaverint, corporum quoque virilium vitia aequaverunt."

---

* SENECAE *Epist.* xcv. *p.* 600.

† PLINIUS quoque habet. " Podagra morbus rarior solebat esse, non modo patrum avorumque memoria, verum etiam nostra." *Hist. Nat.* l. 26. 10.

VI. HEBERDENUS * quoque scriptum reliquit, foeminas podagricas haud raro inveniri, et exempli meminit, omnium liberorum ex parentibus podagricis ortorum, filia excepta, qui hujus morbi immunes vixerunt. Foeminam quamdam cognovit, quae, eo usque podagra vexabatur, uti ulcuscula plura ex concretionibus cretaceis traxerit, quamvis inter cognatos suos, ne vestigium ejus unquam sese ostendisset. Exempla sunt in quibus, mares intacti evaserunt, dum ejusdem familiae, foeminae morbo illaquerentur †. Fere eos liberos, qui, parentibus morbum nondum expertis, nati fuere, praetermittit. Proclivitate ad podagram, a parentibus derivata, in liberis delitescat morbus, et in nepotibus sese ostendat.

VII. Homines quosdam corpore magno et

---

* Commentar. de Arthritide.

† *Observations and Enquiries* by BENJ. RUSH, M. D.

validido, capite amplo, et habitu obeso praeditos; quibus cutis crassa, et densum rete mucosum, frequentius invadit. Raro sese ostendit ante vitae acmen, et tunc praecipue, in ignaviae et luxui deditis. Cl. HEBERDENO, qui, in medicina facienda, consenuit, nunquam contigit quemquam vidisse, quem pro certo pronunciaret, podagram ante pubertatem expertum esse. MORGAGNIUS tamen puellos duos se vidisse meminit, qui, infantia vix peracta, acerbis articulorum doloribus prehensi, decumbebant; sed eorum et parentem et avum et proavum ille noverat, arthritidi obnoxios.

VIII. Temperamentum cholerico sanguineum, affectibus arthriticis praecipue obnoxium fertur, sed de hac re nihil pro certo constat: temperamenta variis modis et proportionibus tam intime inter se intermiscentur, ut a se invicem vix discriminari possint.

IX. In regionibus calidis ubi per cutem transpiratio copiosa est, hunc morbum raro

grassari, nonnulli scriptores monuere*. Eques JAIUS, teste ALPINO, AEGYPTIOS qui diaeta vegetabili plerumque vescuntur, eo plurimum vexari, meminit; et sicut accepi, BRACHMANES apud INDOS, qui diaetam animalem horrent, doloribus arthriticis saepissime anguntur. AETHIOPES operosi, in insulis Americanis vitam degentes, nunquam hoc malo inficiuntur †. Ita, hac in re, difficile est verum statuere.

X. Generi humano non unice propria est podagra, si auctoribus credendum sit ‡. Secundum LOUBETUM, equi, canes, et alia animalia nonnunquam ea afficiuntur.

XI. A MORGAGNIO etiam accepimus, tes-

---

* *Reflections and Observations on the Gout*, by Sir JAMES JAY, p. 33.

† MOSELY on Tropical Diseases.

‡ *Sur la Maladie de la Goutte*, p. 63.

De JUMENTORUM PODAGRIS et de medicamentis quae contra has valent, scripsit PLINIUS, lib. xxii. prope fin.

Quoque VIRGILIUS, *Georgic*. iii. 298.

————————glacies ne frigida laedat

Molle pecus, scabiemque ferat, turpesque PODAGRAS.

tibus quibusdam veteribus auctoribus podagram epidemicam fuisse, et, nullo habito discrimine, in eunuchos, mulieres, pueros, puellas, itemque caprarum greges grassatum fuisse, et per viginti annos, promiscue, loci incolas invasisse *.

XII. Ad articulorum dolores saepe accedunt affectiones calculosae, et ex observationibus ill. MORGAGNII, in variis epistolis propositis, argumentisque auctorum recentiorum et periculis, hos morbos unam et eandem originem agnoscere, plane patet †.

XIII. Diu et aegris et ipsis medicis persuasum fuit, podagra quasdam alias aegrotationes fugari posse, et ejus adventu gaudendum esse, tanquam quae, omnia fausta, secum latura foret. Ita, hepate torpido existente, adsunt animus demissus et anxietas, quibus podagrae paroxysmus, morbi metastase, mederi existimatur. In epilepsiam for-

---

* *Epistol.* 57. *Art.* 4.

† MORGAGNII *Epistol.* 57. 29. 40. et 42.

san inciderunt alii, ex sensu molesto hepatitidem chronicam stipante, quam, doloribus et inflammatione arthriticis propulsari posse, hi autumant. Morbi continuatione plurimum debilitatis arthriticis, hydrothorax haud raro supervenit, et hunc morbum removere paroxysmus arthriticus suspicatur *.

XIV. Verum, tantillum medicina potest podagram vel creare vel concitare, ut, meo judicio, ludat operam, quisquis studeat, affectum idiopathicum quemvis per athritidem fugare.

XV. Multum abest quoque, ut arthritis animos demissos erigere, et mala gravia fugare queat; quin potius languorem, et malum urgens augebit. In omnibus exemplis his citatis, conatus ad paroxysmum alliciendum, vino, aromaticis volatilibus, aquis mineralibus, rarissime succedit, et aeger brevi ad alias medendi methodos, in quibus plus praesidii sit positum, confugere necesse ha-

* DARVVIN. *Zoonomia, tom.* ii. *p.* 459.

bet. Inter plurimos, quos videt HEBERDENUS, quorumque historias literis mandavit, duplo plures fuere, in quibus, podagra aliis morbis supervenit, sine minima earum levatione, vel in quibus, nova mala attulit prioribus; quam quibus prodesse visa est: et suo quidem judicio, quae mala podagrae imputata fuerunt, multo certius ab ea profluxerunt, quam quae bona.

XVI. Interdum quidem fieri videmus, ut alii morbi conquiescant, podagra superveniente, quod etiam fit accedentibus febribus, paralysi, asthmate, variolis et insania; quorum omnium non pauca exempla existunt, licet hos morbos dixerit nemo salutares. Contra, morbus articularis saepe invadit vertiginosos, asthmaticos, fastidientes et melancholicos, quos adeo non levavit, ut mala eorum multum exasperaverit. Porro haec omnia in nonnullis aegris, simul cum podagra semper accesserunt, et per totum ejus spatium perseveraverunt.

CAPUT III.

DE MORBI SIGNIS.

I. Sub forma affectionis inflammatoriae, articulos quosdam, pedum praesertim, invadit podagra. Haud saepe, derepente et ex improviso accedit, sed plerumque eam praecedunt ventriculi affectiones insolitae, veluti flatus, cardialgia, dyspepsia, anorexia, nausea, vomitio, aciditas, ventriculi et intestinorum doloribus comitantibus, vertigo, tinnitus aurium.

II. Pedes etiam arescunt, sudore non humectantur, et praetersolitum algent, torpor etiam cum sensu quasi urticationis alternante, eos grassatur. Inter podagrae praenuncios fidissimos, musculorum crurum spasmi, et venarum turgiditas insolita, recensentur.

Nonnunquam per aliquot dies, antequam pedum inflammatio sese ostenderit, perstant haec symptomata. Pridie diei ejus, in quo paroxysmus incipit, cibi appetentia insolita urget.

III. In quibusdam exemplis, omnia haec symptomata, superveniente diarrhoea, removeri inventa fuere: hujusmodi, morbi resolutio rarissime accidit, et in plerisque, paroxysmus sic formari progreditur.

IV. Vespere, frequentius autem circiter secundam vel tertiam horam matutinam, aegrum invadit, et e somno subito excitat, dolore pedum alterutrum praecipue pedis pollicem, talum aut maleolum afficiente. Doloris autem sedes variabilis est. Cum sensu quodem, AQUAE TANTUM NON FRIGIDAE affusionem referente, stipatur aegri angor; ossibus simul quasi seorsum distractis. Statim succedit rigoris plus minusve, cum horrore: dolore ingravescente, sensim levatur et hunc subsequitur pyrexiae stadium calidum, aliquandiu cum dolore perstans.

V. Post aggressionem primam dolor in horas intenditur. Imagines diversae excogitantur, sub quas, dolores, quibus praedae est, describere possit aeger.

"A wolf now gnaws him, now a serpent stings."*

Partes affectae, ut inquit, extenduntur, incenduntur, roduntur, secantur vel lacerantur; vel si quaevis alia figura, cruciatus picturam, adstantium mentibus exhibens, aegro occurrit, illam avide captat miser. Incassum millies conatur, se ipsum jactando, et ex alia ad aliam lecti partem volutando, solatium obtinere. Intra viginti quatuor horarum, ex paroxysmi prima accessione, decursum, remissione subita sed fugaci fruitur aeger, et sudore leni erumpente, sopor fessos complectitur artus. Mane pars affecta rubore suffusa sese ostendit, et tumida facta; dolorque multum imminutus.

---

* Castle of Indolence, c. 1.

VI. Cruciatu post viginti quatuor horarum lapsum remisso, aegro tamen, non est cur credat, se nunc a malo liberatum fuisse. In tempus longius breviusve, prout aegri aetas et vigor sese habeant, paroxysmi regressum cum pyrexia, omni, vel omni secundo, vel tertio vespere expectare debet; iterum sub galli cantu laevaturi: Ex hujusmodi accessionum serie, constat quod anglice dicitur *a fit of the gout*.

VII. Initio, pedum unus afficitur, postea alter, et aliquando mutuo patiuntur. Partes affectae non raro tam acerrime sentiunt, ut vix ac ne vix quidem, stragulorum onus sustinere possint et succussus merus ex tabulati agitatione, aegro infestus est.

VIII. Anorexia per totum paroxysmum adest. Alvus plerumque adstricta est.

IX. Urina, sub paroxysmi initium a chemicis, acidum phosphoricum liberum, et vix calcis phosphatem ullum continere, observata

fuit *. Paroxysmi autem finem versus, acidum phosphoricum iterum sese liberum gradatim ostendit, urina simul sedimentum subrubicundum deponente. Si hoc sedimentum in corpore subito remaneat, et urina simul praecipitatum cum hydrargyro praebeat, morbi regressus novus timendus est. In diversis periculis a cel. CRUICKSHANKSIO subjectum, ex acido lithico, calcis phosphate et residuo animali quodam, in aqua pura parum solubili, semper constare inventum fuit. Nonnulli putaverunt illud omnino ex acido lithico constare, sed haec materia longe minimam ejus partem constituit †.

X. Sudores podagricorum, succos vegetabiles coeruleos, rubore suffendendi vim possidere videntur; quod, ex nonnullorum senten-

---

* Vide le Journal de Medecine, Juin 1786, p. 476.

† Philosophical Magazine, vol. II. p. 240.
Systême de Connaissances Chemiques, par Fourcroy, tom. X. p. 276.

tia, acidi phosphorici praesentia efficitur, vel secundum aliorum, acidi lithici*.

XI. Remittente paroxysmo, partium affectarum pruritus molestus, praecipue inter pedum pollices, cum desquamatione furfurina supervenit. Nunc cibum appetit aeger et valetudine, meliori quam antea, dotibusque animi vividioribus gaudet.

XII. Repetitos ingressus paroxysmorum, quorum historia fuse jam tradita fuit, excipit saepissime renum vel vesicae calculus†. Concretiones quaedam quoque externe, et frequenter proxime sub cuticulam, post morbi decursus reiteratos, haud raro formantur. Hinc artuum motus impeditur, et exercitio

---

* MURRAY FORBES on the Gout and Gravel, p. 87. TATTERSHALL. thesis, De Calculi et Podagræ Nexu, p. 22.

† MURRAIUS Prof. Upsal. de Cognatione inter Arthritidem et Calculum in Opusc. tom. I.

J. P. FRANCKII delectus, tom. II.

G. HEBERDEN: Comm. de Arthritide.

tum temporis molestissimo si non impossibili, morbus fomitem sibi praebet*.

XIII. Hae duae depositiones ejusdem morbi aeque sequelae sunt, arctissime inter se connectuntur, et plurimas dotes similes mutuo possident: suspicabantur ergo medici, concretiones ad articulos formatas, et vesicae renumque calculos, ex eadem substantia constitutos esse. Nonnullorum auctorum haud parvi nominis testimonia, de aquae potassae, saponis, et calcis aquae, effectibus salutaribus, in utrisque concretionibus minuendis, huic opinioni favebant.

XIV. Etiam, ex anatomicorum observationibus, in cadaverum arthritide interemptorum sectione, fidem mutuabatur opinio.—Quod MORGAGNIUS et quidam alii de concretionibus arthriticis scriptum reliquere, uti a re mea non alienum, hic succincte enarrabo.

---

* Aliquando ad ovi pullini magnitudinem increscunt.—Vid. DARVVIN: Opere Citato.

XV. De SECTIONE podagrici, et calculosi, MORGAGNIUS scribens, monet, in renibus minimos latitare calculos; nonnulli nigri, aliique albicantes, sinuosi, praeterea cavi fuere. Cute sublata ad digitorum articulos, illico, in membrana tendines obvolvente, tartarea materia deprehensa fuit, quae ex albo in flavum colorem vergebat. Notandum est, materiam in renibus et articulationibus repertam, *specie* similem fuisse.

XVI. Addit idem auctor, aurificem, podagra quotannis laborare solitum, petroleo, nec semel, imminente jam morbo, pedes inunxisse: morbum quidem arcuit, sed in multo graviores incidit qui abigi non potuerunt, nisi quamplurima ex alvo egesta materia, quam ut podagricam, facile agnoscas; quasi ex calce erat aut gypso recens coagmentato. Loquitur de tumore in podagrico, qui sponte disrupit, ostenditque intra corticem ab integumentis fac-

tam, et fibris carneis, nihil nisi materiem quae calcem, alibi duram, alibi molliorem referebat. In episcopi cujusdam, subinde nephriticis doloribus detenti, cadavere, MORGAGNIUS, undecim lapides, magnos plerosque et ramosos instar corallii invenit. SANCTORIUS a MORGAGNIO citatus inquit, se aliquando vidisse, in quadam antiqua gonagra, phlegma gypseum molle, liquidae calci simile, defluxisse ad cutem, qua perforata, liquidum exiit.

XVII. Tempore, quo factae fuere hae observationes, anatomicorum laboribus non adhuc affulserat chemiae lumen. De concretionum natura, quas in arthriticorum cadaveribus detegebant, ex facie habituque externis judicabant. Manifestum est utcunque, quod analysi chemicae accurate institutae soli in potestate fuit, hanc quaestionem expedire; an concretiones, articulos, et calculi, arthriticorum vesicam et renes infestantes, ex simili materie nec ne componerentur?

XVIII. Talis analysis adhuc desiderabatur, quando nostras WOOLLASTONUS operam et

ingenium ejus huic indagationi collocavit. Concretionum arthriticarum, cum reagentibus chemicis, quales compertae fuere habitudines, breviter enarrabo *.

DE CONCRETIONUM ARTHRITICARUM DOTIBUS CHEMICIS.

XIX. Molles et friabiles sunt: aqua frigida minime in eas agit, sed aqua bulliens ex iis portionem parvam dissolvit. Si huic solutioni acidum addatur, crystalli vasis lateribus apponuntur.

XX. Hae concretiones in potassa omnino solubiles sunt, solutionis alkalinae actioni, calore adjuvante.

XXI. Si in acidum muriaticum vel sulphuricum dilutum immittantur, soda separatur;

---

* Philosophical Transactions, ann. 1797.

sed acidum uricum manet, et colaturae ope separari potest.

XXII. Inter liquidum evaporandum, sulphatis vel muriatis sodae, crystalli, secundum acidum adhibitum, formantur. Residuum omnes acidi urici dotes possidet.

XXIII. Per distillationem, ammoniam, acidum borussicum, et acidum sublimatum Scheelii evolvit. In acidi nitrici, parva quantitate solutum, colore roseo cutem tingit, et si evaporetur, residuum deliquescens restat. In potassa solubile est, et quovis acido vel ammonia praecipitari potest, primo, gelatinis conditione, deinde, in pulverem albidum decidens.

XXIV. Acido urico, soda et aquae calidae paullulo simul trituratis, massa formatur, quae, soda superabundante abluta, concretionum arthriticarum proprietates chemicas possidet.

XXV. Si chemicae analysi harum concretionum satis larga copia subjiciatur, fibrarum vel fluidorum animalium, portio quaedam, in-

termista detegeretur; sed quaecunque materies heterogenea in concretionibus arthriticis inveniatur, proportio ejus minor esset quam quae, conclusionem hanc generalem, "materiem concretionum arthriticarum, sodam lithiatam esse," labefactet.

XXVI. Haec analysis, periculis Fourcroii et Vauquelini, rata fuit. Ex eadem materie componuntur vesicae et renum calculi quamplurimi, uti, ab eorum decompositione chemica, inventum fuit. Vix opus est ut memorem, acidum uricum plerumque in calculis urinariis reperiri, et primum a Scheelio examini subjectum fuisse. Universae, vesicae et renum, concretiones ab hoc illust. chemico decompositae, ex acido urico constare, reperiebantur. Inter tricenos calculos quoque a Pearsono analysi subjectos, vix unus quidem, qui acidi urici copiam magnam non continebat, repertus fuit; et eorum pars major, praecipue ex hoc acido, manifesto formata fuit. De calculis dissertatio, auctoribus Fourcroio et Vau-

QUELINO, monet, ab illis, quingentos calculos analysi accuratae subjectos, et in eorum quamplurimis, acidum uricum detectum fuisse *.

XXVII. Parum certi constat, DE MODO, quo formantur hae concretiones, vel de formationis earum causa proxima. Materies arthritica, primo, statu fluido, juncturis deponi videtur; postea, partibus ejus tenuioribus absorptis, desiccari et condensari. Hujusmodi depositiones ad ovi pullini magnitudinem increscant.

XXVIII. SWIETENIUS existimat, quod, per repetitos morbi insultus, sic mutata fuerint vasa secernentia, sic laesa sit ossium fabrica, ut quod reparando ossi destinatum fuisset, ad debita loca venire nequeat: ita

---

* Vide "A System of Chemistry," by THOMAS THOMSON, tom. iv. p. 668.

ad vicina loca depositum, tophos podagricos constituit *.

XXIX. Cel. HUNTERUS, concretionum formationem, materiae osseae, arteriis minutis nimis copiose secretae, et in cartilagines atque articulorum ligamenta depositae, attribuendam opinabatur.

XXX. Hodie, satis compertum habemus, ossa humana, et concretiones arthriticas, multum in earum compositione inter se distare, et nemo probe explicare potest, quo processu, harum materiarum inter se tam diversarum, illam, in hanc transmutare possunt vasa secernentia.

XXXI. Secundum analysin, a cel. HATCHETTO institutam, ossa humana, ex calcis phosphate, gelatine, calcis carbonate, cum calcis sulphatis pauxillo, vix enumeratione digno, consistere inventa fuere †. Supra vi-

---

* Comment. 11261. ita quoque putavit cl. SAUVAGES: in *Nosol. Method.* tom. iii. p. 9. 8.

† Vide Philosophical Transactions, anno 1800.

sum est, concretiones arthriticas, ex sodae urate, cum materei animalis gelatinosae quantitate parva, constare.

XXXII. A quiete protracta, et decubitu diuturno in dorsum, cui, ob doloris, sub motum, incrementum, arthritici affiguntur, calculum saepissime oriri, verisimile est. Non arthritidi soli, sed aliis quoque morbis, decubitum supinum longiorem suadentibus; uti paralysi, ossium fracturae, uteri haemorrhagiae, supervenire solent affectiones renum et vesicae.

CAPUT IV.

DE MORBI CAUSIS.

I. Proclivitas, vel labes quaedam haereditaria causarum arthritidi PRAEDISPONENTIUM, facile princeps recensetur. A quibusdam medicis negatur, profecto, hunc esse morbum haereditarium. Vix operae pretium erit, argumenta CADOGANI et aliorum refellere; quorum validitas natura non innititur, sed potius feraci ingenio: si auctoritas aliquid valeret, ex tempore quo floruit HIPPOCRATES ad hunc usque diem, plurimos scriptores pro sententia huic diversa, citare possem.

II. Dum labi haereditariae plurimum tribuimus, non praetermittendum est medicos consentiisse in desidia intemperantia, animi

perturbationibusque vituperandis, utpote ad podagram facile predisponentibus.

III. HIPPOCRATES ante bis mille annorum, inter cives ejus, incitamentis ad ingluviem adhuc incognitis, podagram sanabilem esse putavit. Meminit foeminas rarissime ab ea invadi, et nonnisi donec post menstrua illis defecerint; eunuchos quoque, ait, neque podagra laborare, neque calvos fieri. Testimonium validius, ad luxus et desidiae vires probandas in hoc morbo generando, haud facile, ex historia antiqua, depromi possit.

IV. Hanc comparemus HIPPOCRATIS venerabilis relationem cum ea, quam GALENUS, post eum prope sexcentissimo anno florens, memoriae tradidit *. Tunc ROMANORUM luxus ad summum pervenerat, et mores soluti ac victus ratio prava, arthritidem inter foeminas et eunuchos vulgaverant. "Aetate HIPPOCRATIS," inquit, "pauci podagra la-

---

* GALEN. in *Aph. Hippoc.* lib. vi. sect. 28.

borabant, propter victus moderationem: nostris vero temporibus, usque adeo auctis epulis ut nihil eis addi posse videatur, infinita est podagricorum multitudo."

V. Seneca quoque mores sui seculi carpens, testimonium scriptum reliquit, podagram etiam inter eunuchos ac foeminas grassatum esse, dum illi voluptuosi ac desides vitam degebant. "Maximus," inquit, "ille medicorum et hujus scientiae conditor * foeminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hae jam et capillis destituuntur, et pedibus aegrae sunt. Non mutata foeminarum natura sed vita est: nam cum virorum licentiam aequaverint, corporum quoque virilium vitia aequaverint †."

VI. Causis predisponentibus, jam recensitis, addi possunt quae sequuntur. Conformatio

---

* Hippocrates.

† L. Ann. Senecæ, Epist. xcv. lib. 1.

Non minus pervigilant, non minus potant, et oleo et mero viros provocant.

corporis quaedam specialis supra memorata, uti caput magnum, rete mucosum densum, habitus amplus et crassus. In sexu virili ipso, aliquod inesse, quod ad hunc morbum procliviorem reddit, verisimile est, eodem modo ac sexui sequiori nonnihil proprium, proclivitatem in hysteriam inducit. Ingenium acutum, et studia durissima et protracta, maxime nocturna, ad hunc morbum disponunt. Latenter longis meditationibus contrahitur morbus. Victus lautus opiparus. Vina acidula alba *, potus nimis indulsus. Acidorum abusus.

VII. Cl. Darvvinus monuit, morbos omnes alkoholis ingurgitatione nimia fomitem ducentes, ad nepotes transire pronos esse, at-

* Les vins blancs acides, et le vin de Champagne, disposent particulièrement a la goutte. Les hopitaux de cette province sont pleins de gens attaqués de la goutte, et d'autres maladies des articulations—plusieurs après un excès de cette boisson, sont immediatement saisis de la goutte.

Vide *Traité des Maladies Goutteuses,* par Barthez, medecin du gouvernement Français. Paris, 1802.

que causa excitante continue admota, gradatim in pejus ruere, donec stirps universa radicitus ex conspectu abierit *. Hoc ex RUSHII testimonio etiam elucet. "Indigenae inculti Americani arthritici exemplum audivi," inquit, "qui oppidi PITTSBURGHI degebat, et alterum ego ipse eodem morbo laborantem, in hac urbe sanavi. Quorum ambo vini et liquorum meraciorum abusui turpiter dediti fuerant †."

VIII. SYDENHAMUS notavit, podagram eos plerumque senes invadere, qui, postquam meliores vitae dies mollius ac delicatius transegerint, epulis lautioribus, vino aliisque liquoribus spirituosis, liberalius indulgentes, tandem ob pigritiam, aetatis ingravescentis haud raro comitem, ea corporis exercitia penitus omisere, quibus juvenes assueverant.

IX. DE CAUSIS EXCITANTIBUS. Quodcunque vim concoquendi vel mentis energiam

---

* Botanic Garden, tom. ii. p. 156. Annot.

† Observations and Enquiries, p. 140.

debilitare inservit, huic morbo ansam praebeat: et in systemate, causis hujusmodi jam recensitis ad arthritidem praedisposito, paroxysmum accendere causae vel laevissimae haud raro sufficiunt. Ea, quae in quibusdam exemplis PRAEDISPONENTIA solummodo sint, si modo ad intensitatem quandam provecta fuerint, facile EXCITANTIA fiunt.

X. Nemo est arthriticus, qui non norit, irae, timoris, aut gaudii motus hunc morbum allicere potes esse *. Cujusdam, in praelectionibus suis, mentionem facit GREGORIUS noster, cui, nuncio infelici accredito, paroxysmus arthriticus subito redintegratus fuit.

XI. Vehemens studium; cujus exemplum in se expertus fuit SYDENHAMUS. Dum tractatum suum eximium de hoc morbo scriberet, repentino ipsius de quo ageret mali ingressu, opus abrumpere coactus fuit; quod, nimio studio ejus, tribuendum putavit.

---

* Vide MORGAGNII, *lib.* x. *epist.* 57. *art.* x. pro simili exemplo.

XII. Ebrietas; narcoticorum usus nimis frequens—pedum sudantium subita refrigeratio—in lodicibus non penitus exsiccatis dormitio *—equitatio in frigore vel sub imbribus—pleraeque exanitiones immoderatae—laesiones accidentales. VAN SWIETENIUS hominis exemplum citat podagrae obnoxii, qui, descendens ex curru, pedem leviter distorserat, et subinde paroxysmo arthritico correptus fuit. Operae vel exercitationis, praesertim in longius, mutatio vel omissio subita; transitus ad victum inassuetum, a pleniore praesertim ad permodicum et tenuem.

XIII. Multae aliae causae auctoribus citatae fuere, sed in iis investigandis otium terere prorsus invitus sum. Infirmato ventriculo, illo podagrae fonte, et turbatis ipsius functionibus, omnia quae mentem vel corpus subito vel vehementer commovent, pro causis excitantibus, jure haberi possunt.

---

* RUSH. *Med. Obs. and Enquiries.*—the case of Colonel Miles.

XIV. DE CAUSA PROXIMA. Arthritis uti medicus, haud parvi nominis, nos monuit, exemplum praebet, quam longa experientia ac diligenti cautela, ad morborum indolem perscrutandum opus est. Morbus hicce ex temporibus antiquissimis genus humanum et praesertim, secundum SYDENHAMUM, mentis altae et studiis deditos homines invadit, quibus, in manibus aeque ac in voluntate fuit, indicium omne quod aut ratio dederit vel fors objecerit, in melius vertere. Attamen res in alta caligine nos adhuc latet, nec mirum est, medicos toto coelo inter se discrepare.

ΑΙΤΗΝ ΔΕ ΑΤΡΕΚΕΑ ΜΕΝ ΙΣΑΣΙ ΜΟΥΝΟΙ ΘΕΟΙ*.

XV. Nonnulli podagram ad systema nervosum morbide affectum, et peculiari modo debilitatum referunt, et hanc in sententiam ire voluisse videtur HEBERDENUS. Mutatio in melius, quae, paroxysmo finito, subse-

* Sic enim habet ARETAEUS, de hoc morbo.

quitur, hunc morbum non esse generis nervosi, indicaret: quippe quod morbi omnes, nervosi dicti, corpus admodum debile relinquunt, adeo ut aeger raro aut nunquam valetudinem pristinam recuperet.

XVI. Curiositas chemica, quae pollet naturae arcana intima penetrare, hunc nodum solvere nisa est; phenomenorum, quae prae se fert morbus, explicationem hujusmodi nobis dedere BERTHOLLETUS et FORBESIUS *. ILLE irritationem et concretiones depositioni, super membranas et inter articulos, calcis phosphatis acidulati, et quae non, ut debet, una cum urina ex corpore redditur, attribuit.

XVII. Cum nunquam certe probatum fuit, hoc acidum in concretionibus arthriticis existere, et etiamsi extiterit, symptomatum morbi rationem reddere non sufficit, mihi con-

---

* V. FOURCROY, *Systeme des Conn. Chemiq.* tom. x. MURRAY FORBES, *On the Gout and Gravel*, p. 93.

silium est opinionem cl. BERTHOLLETI silentio praeterire.

XVIII. FORBESIUS signa arthritica, ex acidi lithici depositione, mediante acido alio in primis viis redundante, manifeste oriri putat. Acidum, a quo haec praecipitatio fit, phosphoricum communiter est, cujus quantitas, durante podagra, praeter solitum in corpore redundat.

XIX. His aliisque theoriis chemicis fortasse objici potest, eas principio parum firmo exstructas, ad morborum causam illustrandam vix quidpiam contulere: quia ex aequo in omni exemplo verisimile est, acoris vel acidi cujusmodi redundantiam in corpore, sequelam potius quam morbi causam esse.

XX. Concedamus, argumenti gratia, et certe nunquam adhuc probatum fuit, calcis phosphatem vel acidum quodvis a phosphorico liberatum, in arthriticis redundare. Hoc tamen concesso, non est cur credamus quaestionem nunc omnibus difficultatibus vacare. Si acidum in corpore generatum pro causa

proxima habeatur, necesse est, ut talis causae effectus et actio constanter procederent, quamdiu acidum istud in systemate delituerit. Quis nescit, omni experientiae et observationi quam advorsa, est talis inductio? Dolores per totum paroxysmum invicem cessant et angunt.

XXI. Praeterea, quomodo secundum ullam fluidorum motus legem adhuc philosophis perspectam, vel corporis humani fabricam anatomicis adhuc detectam, possumus torminum arthriticorum translationem subitam, ex una ad alteram corporis extremitatem, celeriorem fulgure, explicare.

XXII. Iterum, etiamsi argumenti causa, concederemus, quod propter acidi liberati vel salis depositi acorem irritantem, (quae materies peccans, ut aiunt, postea cum urina ex corpore egressura est,) cietur podagrae paroxysmus: quomodo tunc fit, cathartici medicamenti exhibitionem novum paroxysmum aliquando inducere, etiamsi paroxysmus recenter perfectus fuerit, et consequenter secun-

dum talem theoriam, materies morbifica omnino evacuata fuerit? Morbi regressus tamen haud raro obtinuere propter artum fortuito ictu laesum, vel etiam, teste HEBERDENO, culicis morsu*.

XXIII. Amplius in hujusmodi theoriis perscrutandis progredi, menti recte constitutae parum oblectamenti, praebere possit: Inter se discrepant et morbo nullum lumen affulgent. De re tam spissa caligine adumbrata, et quam SACRO TEGIT INVOLUCRO NATURA, nihil praeter vagas hypotheses extruere possumus.

XXIV. Mihi, si cum caeteris, conjecturam crudam proferre liceat, tenere haud recusarem; artuum dolores et inflammationem, morbi hujus symptomata solummodo esse, et ejus veram originem ad ventriculum referendum.

XXV. Arthritidis quaecunque phenomena hoc nobis declarant. Paroxysmus, ventri-

* Ejusd. Comment. de Morborum Hist. et Curat. p. 46.

culi affectione insolita, introducitur; causae, quae morbum excitant, proxime in ventriculum agunt: et podagra atonica vel recedens hic loci plerumque sedem capessit. Huic visceri insigni, cum reliquo corpore consensus intimus est, prae aliisque cum extremitatibus.

XXVI. In quodam ventriculi statu morbido, mali arthritici fons est quaerendus; ex consensu mirabili, qui inter organum istud et corpus reliquum, praesertim autem extrema, intercedit, oriuntur signa.

XXVII. Non obstat quo minus ventriculum pro morbi sede vera designemus, etsi confitendum sit, nos, ex quibus ventriculi dotum sanarum mutationibus morbus consistat, pro certo definire non aggredi.

CAPUT V.

DE DIAGNOSI.

I. Arthritidis symptomata, haud raro tam diversas, ne dicam contrarias, formas sese induunt, ut praesentia ejus, ab quorundum aliorum morborum haud facile discriminari possit. Experientia quotidiana nobis demonstrat quod nullae fere partes sunt, quas non invadit, et tam multi morbi, quos mentitur; ut de eo, donec acessio regularis ad extremitates, et hinc priorum malorum levatio vel cessatio, eorum veram originem indicaverint, facile hallucinari possumus.

II. Morbi latentis, fallaces hujusmodi ingressus, medici judicio practico et acumini relinquendi sunt. Mihi propositum est, de ar-

THRITIDE regularem typum servante, solummodo disserere.

III. RHEUMATISMUS ACUTUS solus arthritidem referre videtur; idcirco meum est, indicia, quibus a se invicem discriminari possunt hi morbi, monstrare; etsi, utriusque criteria nonraro intime inter se intermisceantur.

IV. Corporis proclivitas quaedam ad ARTHRITICUM paroxysmum alliciendum, necessaria videtur. In hoc, differt a RHEUMATISMO.

V. ARTHRITIDIS ingressus ante pubertatem, exemplum vel rarissime vel nunquam occurrit; infantuli autem saepe RHEUMATISMO acuto vexantur.

VI. In ARTHRITIDE, paroxysmum febrilem praecedit dolor: in RHEUMATISMO contrarium accidit.

VII. In ARTHRITIDE, pedi insidet saepissime dolor: in RHEUMATISMO, commissurae majores uti humerorum, genuum et cubitorum, usitatius dolent.

VIII. ARTHRITIS ad tempora metita quaedam, recurrere proclivis est; cujus regressus, antea monet aegrum affectio ventriculi: haec de RHEUMATISMO non obtinent.

IX. Dolores ARTHRITICI ad deserendos artus et ad ventriculum, pulmones, cor vel cerebrum invadenda, proclives sunt: dolores rheumatici raro si unquam musculos et artus relinquunt, ut viscera nobiliora obsideant.

X. In ARTHRITIDE alte rubet et tam acute dolet pars affecta, ut ne vix quidem appulsum levissimum tolerare possit: in RHEUMATISMO acuto, partis affectae sentiendi facultas, etsi plurimum aucta, hujus minime aequat, et cutis non alte sed leviter solum rubet *.

---

* ARTHRITIDEM esse contagiosum monuere quidam auctores. In hanc sententiam ivisse videntur BOERHAAVIUS et discipulus ejus SWIETENIUS. Pro fundamento suae opinionis exempla laevia et ludicra ex quibusdam scriptoribus GERMANICIS protulit SWIETENIUS, et multa fide digna mihi non videntur; nunquam autem vidi, legi, aut accepi RHEUMATISMUM contagiosum fuisse.

CAPUT VI.

DE PROGNOSI.

I. Quamdiu dolor et inflammatio in extremitatibus manserint et typum regularem arthritis servaverit, infaustum morbi exitum tamdiu non locus erit timendi; et eo certius, si aegri systema senio, vel intemperantia, non debilitatum fuerit, neque morbi progressis accessionibus labefactatum.

II. Amplius de hac re disserere, mihi opus non est, cur enitar: nam confitetur a medicis prognosin, omni in exemplo, ab innumeris nugis pendere; et ludat operam, quisquis has verbis describere studeat.

CAPUT VII.

DE METHODO MORBUM MEDENDI.

I. Duo consilia methodus medendi complectitur. Primum aegri tractationem, saeviente paroxysmo; secundum ea, inter ejus intervalla, quae aegro conveniant, spectat.

II. Non mihi in animo est, ea omnia remedia, quae in alterutro morbi hujus consilio efficacitatem prodiderunt, recensere: ea tamen, ex amplo eorum numero, producere fas erit, quae in utroque insigniores virtutes praestitisse repertae sunt.

III. Diu medicis persuasum fuit, paroxysmum arthriticum nihil amplius esse, quam naturae corpus reficere, nisum salutarem. Inter paroxysmum sibimet ergo, pro norma

posuere, parum aliud tentare quam ut, aegrum in statu quieto servandum partemque dolentem laneis tegendam, curent; et ei ad fauces humectandas potum refrigerantem, praebeant.

IV. Principio inerti, methodus haec innititur. Omnium remediorum quorum ope inflammatio moderari, aegrique tormina levari possent, usum perhibet: ex quibusdam exemplis tamen, satis elucet, praxin admodum diversam, si caute ea adhibita fuerit, tuto usurpari posse. Et veniet forsitan dies, cum remedia refrigerantia judicabuntur non tam perniciosa esse in arthritide, neque in rheumatismo tam utilia, quam vulgo feruntur; et proinde morbi utriusque curationes ad se invicem propius accedant *.

V. Magnus ille HARVEIUS, circumeuntis sanguinis repertor, podagrae paroxysmo minitante, immergendo sine mora crura in aquam

---

* G. HEBERDEN: Comment. p. 55.

frigidam, morbum propulsare solebat *. Ad octogesimum annum, tamen vixit, et non tam morbo, quam senectute extinctus est. Ejusdem praxeos SMALLIUS fautor strenuus fuit, et in proprio corpore similiter pericula exhibuit †. Plurima hujusmodi exempla feruntur, quorum eventus felices fuere ‡.

VI. Aegro levamen insigne affert frigus; caloris morbidi reactioni in systema obvenit, et paroxysmi impendentis vires nonraro frangit.

VII. Plerisque in exemplis, aquae frigidae usui aerem frigidum praestare, opinatur RUSHIUS, qui monet se aegros plurimos, summo cum fructu, pari modo tractavisse. Frigus, sub alterutra forma, adhibere tutum esse et salutiferum asserit. Partes affectas laneis involvere, ut mos est, quasi ineptum vituperat.

---

* HEBERDENI Comment. de Arthritide, p. 45.

† Medical Observations and Enquiries, Vol. VI. p. 201.

‡ Vide, A Dissertation on the Gout, with a variety of Cases, by R. KINGLAKE, M. D.

VIII. De aquae frigidae usu in doloribus arthriticis curandis, multum scriptum reliquerunt ANTIQUI; sed hujus vel parum memores vel inscii, sibi famam assequi nuper voluere quidam auctores, remedium jamdudum neglectum, quasi novum et a seipsis nuper inventum, decantando.

IX. Termini, quos huic dissertationi posui, rem nimis curiose indagare impediunt. Suffecerit mihi probare, remedium jactatum antiquum esse. Pauca exempla itaque, quoniam hic pertinere videntur, apponenda duxi.

X. ANTONIUS MUSA, remedii, de quo agitur, vim mirabiliter olim illustravit. Dolore arthritico vexabatur AUGUSTUS, et ad summam maciem perductus fuit, curante AIMILIO medico *, qui eum adeo calidis tractabat, ut tectum cubiculi ejus velleribus muniret. Postea, in contrarium versis omnibus, ANTONIUS MUSA † perfusiones frigidas, garga-

* SUETONIUS. in AUGUSTO, c. 59.

† DE CRUQUIUS in HORAT. lib. i. ep. 15.

rismata et potiones aquae gelidae IMPERATORI praescripsit, et ita eum intra breve tempus sanavisse dicitur. Ob quam causam, ab AUGUSTO usque ad sestertium quadraginties, ex senatus consulto, accepit. Statuam quoque, aere collato, juxta signum AESCULAPII posuerunt.

XI. Aquam gelidam affusam, arthriticis prodesse, habet CELSUS *. CYDNUS, CILICIAE amnis celeberrimus, podagricis mederi olim existimatus fuit, sicut apparet in epistola CASSII PARMENSIS ad MARCUM ANTONIUM, a PLINIO citata †.

XII. In ANGLIA quoque, diu usurpatum fuit hoc remedium. Exemplum a BAYNARDO, M. D. viro et claro et fide digno, qui floruit ANNA ANGLIAE Regina regnante, narratum, hic pretermittere nolo.

XIII. Rusticus laborabat sesquimestri fere spatio, immanibus arthritidis doloribus, adeo

---

* CORN. CELSI, lib. i. 9.

† PLINII Hist. Nat. lib. xxxi.

ut neque pedibus insistere valeret. Plurimis autem incassum tentatis remediis, et mercurialibus saliva inutiliter mota, misellus ille tandem ab omnibus istis tam saevis symptomatibus, vel unica in frigidas nostras* immersione ex toto liberatus, ad integram sanitatem restitutus est: jussus tamen fuit, firmioris efficaciae causa, iterato bis terve in easdem aquas se demittere.

XIV. Doloris intolerantia fortasse, potius quam ejus praestantiae ulla certa fides, regiminis tam rudis receptioni contulit. Etiam atque etiam excogitandum, priusquam arthriticis jubeatur; ne forte, corpori debiliori, aut gravibus malis obnoxio, aut languido ventriculo, multo plus detrimenti afferat, quam fructum, sub dolorum initio, pollebat. Quin utilitatem brevem et fugacem esse, etiam in

---

* Accidit LONDINI apud FONTEM, dictum Clericorum, qui haud longe est ab ISELDUNO, frequenti vico, aquis frigidis celebris. Vide GUL. BAXTER: Not. in HORAT. Ep. xv. lib. 1.

iis robustis qui affusionem bene ferant, monuere medici, fide omni dignissimi.

XV. Doloribus amissis et morbo depulso, brevi revertit fortasse paroxysmus, et miserum acerbius quam antea vexat; aut, quod pejus est, in quandam partem nobiliorem incumbit.

XVI. Dolorem LENIRE, imo et tollere, non est morbum CURARE: vafri empirici credulis aegris, hoc persuadent, et, mercede accepta, parum soliciti sunt quid imposterum fiat.

XVII. Quanta sit ANIMI potestas, ad corpus sanandum, multa exempla nobis quotidie declarant. Vereor tamen, ne pauci inveniantur, quibus curationem dolorificam a CULLENO et RUSHIO aliisque, haud parvae famae medicis enarratam, animus sufficiet. A CULLENO* percontatum fuit, hominem ejus familiarem, nihil efficacius, ad paroxysmum cohibendum, valida ambulatione, expertum fuisse. Hac praxi, fortitudinem sin-

---

* Vide Res gestas Soc. Reg. Med. Edin. Ann. 1784, p. 210.

gularem exigente, felicissime inter vitam diuturnam usus fuit. HEBERDENUS cum plurimis familiariter vixit, qui loco paroxysmum quiete et lana fovendi, in membris movendis strenue sese exercebant. Sensim mobiliora et robustiora evaserunt, et tandem nullo detrimento ad ambulandum valuere.

XVIII. Accepimus quoque aegros jam pedibus captos, igne vel alio periculo instante, membris subito ac gnaviter usos esse. Sed curationes hujusmodi, medicis, ad libitum, minime sunt proficiendae. Exemplum notabile tamen a RUSHII fratre narratum, cujus testimonio fides omnino debetur, hic loci praeterire invitus sum *.

XIX. Rusticus, ob podagram lecto affixus, et artus movendi omnino impotens jacebat. Temone plaustri per fenestram prope quam decumbebat, violenter et derepente detruso, ille adeo exterritus fuit, ut, morbi gravis omnino oblitus, subito e lecto prosiluit et statim pedi-

* Vid. RUSH. Oper. citat.

bus sese contulit, per totum domum alte vociferans, et quid fuit in causa, undique trepide quaerens.

XX. Paroxysmo urgente, athletico detrahantur sanguinis unciae decem vel duodecem, sed per hirudines potius quam ferrum. Nollem tamen tenere, omnes arthritidis paroxysmos, per sanguinis detractionem, leniendos oportere: ex indiciis urgentibus semper est agendum.

XXI. Victus tenuis, regimen refrigerans, lenes evacuationes usurpandae sunt. Aliquando cibi animalis nonnihil, et vini parvam quantitatem ministrare necessarium sit, praesertim, si diaeta lauta olim assuetus fuerit aeger, et ventriculi tonum resolutum fuerit.

XXII. In paroxysmis protractis, aegrum somnus fugere solet, et vires labent; hic opium et cardiaca, per intervalla, et in dosibus modicis exhibita, solamen afferant.

XXIII. Cathartica jubenda non sunt:—Tam mei ipsius quam aliorum periculo compertum habeo catharsin, quovis horum tem-

porum, ait SYDENHAMUS (sive saeviente paroxysmo, sive in intervallo ut paroxysmo venienti occurratur) administratam, ita parum votis respondisse, ut malum quod debuit averruncare atque avertere, accerseret. Alvum mediocriter solutam, solummodo necessarium est servare.

XXIV. Praeter sanguinis missionem, et regimen antiphlogisticum, perpauca memoratu digna remedia, ad leniendum morbi dolorem, adhuc reperta fuere, exceptis istis refrigerantibus et repellentibus, quorum usum haud periculo vacare, supra monui. CATAPLASMA, ex amylo cum cremoris cerevisiae quantitate duplici confectum, topice applicandum, laudat DARVVINUS. Jubet quoque materiem perspirabilem cohibere et partem dolentem humidam, flexilemque servare ocreolis ex serico, oleo imbutis, ut dolores arthritici, veluti a cataplasmate, exinde laeventur.

XXV. Fortasse, sub paroxysmi finem exhibita remedia talia, dolore jamjam, sponte sua cessuro, aliquantulum adjuvare visa fuere.

Dubito an, saeviente paroxysmo, ullum auxilium, praeter spem sanationis fallacem, saepe praebuerunt. De eorum usu nihil bonum pro certo constat, de sequelis eorum autem nocentibus, non reticuerunt medici solertissimi. SYDENHAMUS plurima hujusmodi remedia, tum in seipso tum in aliis expertus, et longa experientia suffultus, ea omnia quandoque nocere, prodesse nunquam asseruit.

CONSILIUM SECUNDUM.

XXVI. IN morborum longorum omnium curatione, summa victus ratio habenda est, ne quod corpus detrimenti malique, quam maximum vero auxilium exinde capiat: quo fiet etiam ut facultas illa sui ipsius conservatrix, in omnibus animalibus insita, totis viri-

bus contendat morbum excutere. In nonnullis morbis quidem, nihil ulterius medicina efficere valet.

XXVII. Igitur in morbo arthritico, opera quoque danda est, ut non tantummodo vitentur quae morbum genuerint, aluerintque, verum etiam quaecunque secundae valetudini adversentur. Indicatur ideoque, ut aegri valetudo confirmetur, appetitus et organa concoquendi roborentur. Sic morbi vel regressum praeveniamus, vel accessiones lenire tentemus.

XXVIII. Satis inter medicos consensum est arthritidem medicamentis, quorum effectus sunt fugaces, et rarissime systema totum pervadunt, non esse medendam. Exercitatio et temperantia optima et tutissima media sunt: eorum ope, morbi recursui precaveamus, et corporis vires quas aeger incaute fregerit, restituamus. Exercitii opus non est, cur laudes decantem. Menti hilaritatem impertit, cursum sanguinis accelerat, secretiones et excretiones promovet, corpus totum firmat,

ventriculum roborat, et plethoram amovet. Caeteris exercitiis, exquitatio anteponenda est. Sed in hoc, aeque ac in caeteris regiminis partibus, regularitas et moderatio observanda sunt.

XXIX. Quod ad DIAETAM spectat: transitio nulla subitanea instituenda est. Compertum fecit aegros, ex diaeta lactea derepente et inconsulto adhibita, multum damni cepisse. Mutationes etsi non simul instituere, tamen eas constanter observari oportet. Parum commodi ex cujusvis regiminis usu fugace, aegris sperandum est, et curatio tam simplex mentem propositi tenacem exigit, et fraenum, luxuriosis durum, imponit. Quaenam victus genera cuique aegro conveniant, monstrare non aggrediar; haec prout res sese habeant, dijudicanda sunt. Diaeta, ex cibo animali confecta, plethoram auget, et ex vegetabilibus solummodo, corpus debilitat; itaque ex utrisque composita, potius pro re nata, jubenda est.

XXX. Potus, ex vino aqua diluto, vel ex aqua et lacte commistis, constare debet. Potus generosus, *punch*, anglice dictus, et vina acidula gallica et alia quae, propter acescentiam, non possunt quin noceant ventriculum, evitanda sunt. Valetudinaria in Campania, Galliae provincia, implentur aegris qui arthritide et aliis articulorum morbis vexantur. Vinum, quod in ista provincia parant, late celebratur ad curas pellendas et animos demissos erigendos *. Cerevisia tenuis his omnibus, secundum Sydenhamum, longe praestat. Ille medicus praestantissimus ab liquoribus fermentatis, effectus salutares abstinentiae, in hoc morbo compertos habuit. Si medicaster, pro specifico, arthriticis cerevisiam tenuem propinaret, et ab omni alio liquore meraciore eos arceret, ab hac peste hominum multa millia eriperet, et,

---

* Vide *Traité des Maladies Goutteuses*, par P. J. Barthez, tom. i. p. 202.

uti solertiae premium, divitias amplas cumularet*.

XXXI. Plorandum est, morborum hunc indagatorem magnum, sua ipsius praescripta prosequi, constantia caruisse, et ita non doctrinae, in propria persona, exemplum exhibuisse. Cum multorum damno, vinum Madeirense inter paroxysmos suadebat, et ipse periisse perhibetur, ipso morbo peremptus, quem subjugare pollebat.

XXXII. DARVVINUS jam quadragenarius, paroxysmum arthriticum ter expertus, ab omnibus liquoribus fermentatis abstinere sese obligavit: hac abstinentia usus, per quindecim vel sexdecim annos, ab hoc morbo immunis vixit. Tunc cerevisiam tenuem, cum aquae pauxillo vel vinum aqua commistum, vel potum ex pyris vel pomis confectum cum aqua, assumere incipiebat. Paucos post menses, propter, ut ait, hanc indulgentiam, eum

* Vide SYDENHAM. *Oper.* loco citato.

denuo morbi paroxysmus revisit. Hoc in causa fuit, cur iterum ad aquam bibendam sese contulit, et tempore, quo haec de seipso in opere ZOONOMIA dicto enarrabat, valetudine perfecta per viginti totos annos gavisus fuerat.

XXXIII. DYSPEPSIAE indicia, quibus podagrici obnoxii sunt, antacidis cum laxantibus conjunctis, melius laevabuntur. Hoc modo, quoque obstipationi, antacidis plerumque inducendae, occurritur. In aciditate corrigenda, alkalia fixa quae quoque materiam concretionum solvunt, terris absorbentibus a quibus nullum hujusmodi fructum sperare possumus, anteponenda sunt.

XXXIV. Cum CULLENO haec medicamenta in pretio fuere, et arthriticarum concretionum partibus componentibus jam compertis sententiam ejus confirmare inservit.

XXXV. Aquae minerales praesertim BATHONIAE et BUXTONIAE efficaces inventae fuere in solatio praebendo, et flatus, acores, dyspepsiamque podagricis tam infesta corri-

gendo et amovendo*. Sensum pergratum earum usus aegro impertit, et mobilitatem generis nervosi mitigat. Dum saevit paroxysmus utcunque, minime ad eas confugiendum est.

XXXVI. Morbi stadium, maxime idoneum ad has aquas exhibendas, secundum Falconerum, est, ubi symptomata inflammatoria magna ex parte remiserunt; atque debilitas vel systematis atonia ingruere coeperunt.

XXXVII. Febre perstante, aquae ineptae sunt, vel potius nocent.

XXXVIII. Emetica, vix opus est ut memorem, sunt invite exhibenda, utcunque urgeant signa dyspeptica. Ventriculus viscus est, legibus consuetudinis, aeque ac corporis plurima organa, summopere parens, et emeticorum usu frequenti, debilior et mobilior evadit.

---

* Falconer on the Bath Waters, *p.* 101.

XXXIX. PULVIS PORTLANDICUS remedium est, de quo hodie fere siletur, et ejus non meminissem, nisi Commentariis HEBERDENI nuper a filio editis, in diem iterum proditum esset.

XL. HEBERDENO virtutes hujus pulveris, saepe tantae apparuere, ut operae pretium esset pericula instituere, ad ea corrigenda et emendanda quae in eo prava sunt. Dum usus ejus obtinebat, paroxysmus arthriticus frequenter imminutus fuit, vel regressus tempestatem solitam neglexit.

XLI. Confitendum est, HEBERDENI laudes cum opinione generali minime consentire. Veresimile est tamen, effectus deliterios huic pulveri aliquando adscriptos, medico ipso qui ad conditionem aegri, inter pulverem exhibendum non satis animum attenderat, potius quam medicamini vitio vertendos fuisse.

XLII. SPECIFICUM, titulus vafer et fraudis plenus, a fautoribus suis huic pulveri in-

epte inditus, ad famam et usum deprimenda multum forsan contulit.

XLIII. Pro dissertationis coronide, mihi perplacet sententia Hoffmanni, de hoc morbo curando, loquentis.

"Monendi sunt podagrici ne ullo modo corpus medicamentis affligant, sed recti victus ratione et mediocri diligentia, articulorum dolores vitari posse sibi persuadeant *."

FINIS.

---

* Vide Hoffm. Op. omn. *tom* ii. *p.* 345.

ERRATUM.

Sect. XIX. pag. 59. Pro *fecit,* lege *fuit.*